



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Malachias Ep. 5. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Beatus, qui sacra Virginitatis hortum conclusum, fontemque signatum Christo Domino inviolabiliter consecravit. Ipse procul dubio in aeterno sponsi convivio, unâ cum B. Mariâ Virgine Virginis Matre, Reginâque Virginum Agnum sequetur, quocumque ierit. S. Laurent. Justin. de Regim. Prælat. c. 8.

S. MALACHIAS EP. 5. Novembris.

A Des turba literaria, & si placet, euntem ad ludum puerulum MALACHIAM comitare. Vides ex viâ subsistentem, & passis brachiis identidem non Apollini sed Numini supplicem? O plures sic ad scholas itarent, ut plures inde Malachiæ redirent! Nunc unicum laudamus, qui Sacerdotio à Musis donatus sororem è piacularibus flammis facto sacrificio exemit, mox patriæ (Hiberniæ) Episcopatum tulit. Verùm uti honor artes alit, ita invidiam provocat. Capiti MALACHIÆ plures insidias posuerunt, ut ipsius infulâ suum tegerent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit. Nam dum MALACHIAS ad asylon templum confugit, tempestas omnes ejus hostes fulminavit, lacerosque eorum artus hinc inde stipitibus arborum ad cogitati parricidii infamiam suspendit. Sed & mulier, quæ linguam in Divum armaverat, putrescere hanc sensit, ut oris virulentam infamiam graveolentia proderet. Alios oculorum orbitas, ferrum alios ignesque & dæmon malus sunt ulti. Ita omnibus periculis subductum caput in ruras latebras Claram Vallem tulit, & ut securum jam esset, cucullo abdidit. Morienti oculos clausit D. Bernardus, quem quia præconem laudû etiam suarum habere meruit, non jam Achilli Homerum puto invidebit. *Ex S. Bern.*

Beatus,

6. Nov.

VITA SANCTORVM.

545

Beatus, qui se ab omni maculâ purum atque integrum servat, ut cum fiducia in domum suam recipiat Regem gloria; qui cum reverentiâ ac tremore ad sacrosancta mysteria Servatoris accedit, seque vitam eternam suscipere non ignorat. S. Ephrem in Beatitud.

S. ANDREAS FUNDANUS EP.

6. Novembris.

RECTÈ dixit, qui dixit primum ad lapsum gradum esse, occasionem non fugere. Id si homines inficias ire velint, ecce malî dæmones ultrò fitebuntur. ANDREAS omnibus virtutibus, sed castitatis laude imprimis clarus feminam domi suæ, privatus primum, post Fundanus etiam Episcopus, habebat ipsam quoque DEO devotam. O, ut fumo semper ignis est proximus! Ibat Romam ex Campaniâ Hebræus nescio quis: deprehensus à tenebris ad Apollinis fanum divertit, & intempestâ nocte in senatum cum regulo suo frequentes coire orci principes videt. Hic dum rem benè gestam singuli gloriantur, & alii alia facinora sibi quisque palmaria clamant; insolentior cæteris unus aliquis, & multum nequitiâ suâ superbus, jactat id tandem magno molimine se effecisse; ut ANDREAS Præsul mulierculæ tergum molliter destringeret. Enimverò acclamatum ab omnibus est; & factum id multis Pluto laudavit, veluti que jam de victo ANDREA triumphus decretus est tenebrioni. Sub ea in discedentium oculos Judæus incurrit; sed quòd aliena arma, Crucem, more Christiano objecisset, tantum risere hominem, testam probè signatam, cætera inanem dictitantes. Nempe hic rectà ad ANDREAM, qui Hebræo Christianis, & fano D. ANDREÆ Apost. transcriptis, domo